



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

cxv. Ad lichenas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

*Aliud remedium.*

Symphyti tres partes ex carne dentur: quæ si nihil profuerint, elaphoboscon & symphyton in vnum misceto: dato tres partes, & ad sanitatem perduces.

*Ad scabiem.*

**S**CABIEI prurigo accipitrem cogit contra se, tanquam contra hostem vnguibus & rostro vti: sed tu locum scabiosum exprimito, donec sanguis eliciatur; deinde aconiti succo per triduum illinito; tum aceto quam acerrimo eluito, & thus masculum aceto conspersum terito, eo que scabiosas partes linito, accipitremque tantisper teneto, dum partes quas leueris, desiccatae fuerint. Vel saponis, spumæ nitri æquas partes acerrimo aceto misceto, hisque accipitrem linito, modo prius in balneo ipsum calefeceris, & postridie calda potabili eluito, & quam mox sanabitur. Aut argentum viuum cum saliuâ terito, eo que accipitrem vngito. aut bitumen ex vetere vino & oleo ad secundas decoquito, eo que calido animantem inungito.

*Ad lichenas.*

**N**ITRVM Alexandrinum quam minutissime terito, idque in oleum acer-

rimum misceto : locum lichenibus infectum linito.

*Aduersus pediculos remedia.*

**P**EDICULI nascuntur à noxio humore carniū & ex cruditate, cum auceps inconsiderate accipitri crudo alium cibum apponit, antequam alterum cibum concoxerit. id quod cognoscitur. nam pediculi circū oculos cursant & exundant in ipsum gestantem. Remedium est sandaracha, si butyro, aut carne, aut oleo imbuta ipsi præbeatur edenda. aut saponē in tepenti aqua dissoluito, eoque accipitrem linito cœlo sereno, & sanum facies, ipsumque tunica inuolutum in solem calidum exponito. Si pediculos procreauerit acciper, non valde ex eo læditur, potius alitur, & ad venationem impellitur. Pediculos autem concipit, cum manet prope gallinaria atq, auitaria. fumo numquam appropinquet. nam & læditur, & pediculos, & pituitam, & destillationem contrahit, & pinnae torrefiunt. Se pediculis laborare ostendit, cum pinnas vellens, frequenter pediculos inquirat. Remedium afferes, si lupinorum decocto ipsum laueris, sed ita vt ca-